

Q.N. 336. 29

X 2120387



DE
CLARIS
SCHMIDTIS
ORATIO,

QVAM
IN SYNODO DIOECESANA

AD D. XXVI. JUL. A. M DC IC.

RECITAVIT

GEORGIUS HENR. GOETZIUS,
SS. THEOL. LICENT. PASTOR AC SUPER-
INTENDENS ANNEMONTANUS.



LIPSIÆ,
Typis IMMANUELIS TITII.



U 3




VIRIS
SUMME-REVERENDIS, VE-
NERABILI, AMPLISSIMIS
ATQUE EXCELLENTISSIMIS,
DOMINIS
DN. JOH. ANDREÆ
SCHMIDIO,
ABBATI MARIÆVALLENSI, SS.
THEOLOGICÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE
AC SACRARUM ANTIQUITATUM IN A-
CADEMIA JULIA PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO CELEBERRIMO MERI-
TISSIMOQUE,

UT ET

DN. JOH. SCHMIDIO,
SS. THEOLOGICÆ LICENTIATO,
IN ACADEMIA LIPSIENSI ELOQUENTIÆ
PROFESSORI PUBLICO, ALUMNORUM
ELECTORALIUM EPHORO ET COLLEGII
MARIANI SENIORI ÆQUE AC PRÆPOSI-
TO SPECTATISSIMO ET GRA-
VISSIMO,

ILLI PATRONO, HUIC PRÆCEPTORI,
UTRIQUE FAUTORI ET IN CHRISTO
FRATRI HONORATISSIMO DILECTISSIMO,
PIETATEM ET AMOREM,
QUEM DEBEO,
PUBLICÉ DECLARATURUS
CLAROS HOSCE SCHMIDIOS
IN
CONVENTU SYNODALI
COMMEMORATOS
SISTO
ATQUE
UT ECCLESIAE COMMODIS INVIGILARE
ET SCHMIDIANI NOMINIS
SPLENDOREM
CONSERVARE PERGANT
TOTO PECTORE
PRECOR

GEORG. HENR. GOETZIUS.



I. N. 7.



Illuxit tandem, COLLEGÆ HONORATISSIMI, SENIORES VENERANDI, FRATRES IN CHRISTO DILECTISSIMI, ac felicissimè illuxit dies illa, quæ Vestram mihi exoravit præsentiam, ut iniquè prorsus Vobiscum agere viderer, ni, Vestri Concursûs causâ lætus, lætitiis omnibus gauderem atque triumpharem. Equidem non primus sum, qui sentit gaudia hæc, primâ tamen vice, me præsentem, fecistis circulum, ut Vos omnes, (paucis tantùm absentibus, Quibus tamen benè quoque precamur!) coràm intueri, animumque Vestrâ felicitate exaturare liceat. Notum verò est Vobis, quâ ratione in unum convenire placuerit, non ut cibum tantùm invicem caperemus, ac nos omnes cibò vinòque perturbatos & confusos cerneremus, (hi enim mores sunt Epicureorum, nedum Christianorum,) sed ut in pietate decenti ac Christianâ charitate officii nostri partes susciperemus atque diligentissimè expleremus. Instituti nostri impræsentiarum non est, ut rationes modosque Conciliorum Dioecesanorum, quæ vulgò instituuntur, prolixè exponere aggrediar. Neminem enim Vestrùm latere credo, unumquemque præsentium meritò obstrictum esse, ut hõc die gratias Deo persolvat, quòd puritatem Verbi sui in hâc montosâ regione conservaverit, atque per Ministros ritè legitimèque vocatos annunciari jusserit. De hõc enim beneficiorum genere copiosè & abundanter loqui decet. Vestram appello fidem, hâc ætate, quæ nos excepit miseros, Ortho-

thodoxam Ecclesiam hostiles animos ubivis fermè experiri, ut precibus à nobis iratum Numen sit flectendum, quò hostium impetus reprimere ac retardare incipiat. In præcipuâ deinde felicitatis parte ponendum est hoc, quod & formam sanorum verborum in capitibus fidei tradendis servaverint coetus nostri, atque à captiosis ambiguisque loquendi formulis segregati integritatem Doctrinæ modis omnibus ac vehementer asseruerint. Diligenter enim navanda est opera, ne schismata oriantur, sed ut animi omnium concordia ac dictionis paritate coaleant, quò eò majus commodum in Auditores redundare possit. Quamobrem & argumentum quoddam è sacris desumptum placidæ disquisitioni exponi solet, non ut lis litem serat, aut animi in diversum rapiantur ac commoveantur, sed ut quietè ac modestè, (*Bonus quippe altercator vitio iracundia careat, sapiens Quintiliani* †) effatum est) de rebus gravissimis disseramus, veritatem inde elicientes. Posthæc admonita quædam traduntur, quæ vel vitam laudabiliter ducendam, vel officium diligenter subeundum spectant; Omnis autem monitio acerbitate & objurgatio contumeliâ careat, ne animi irritentur potius, quàm emendentur. Totum verò negotium eò tendit unicè, ut unusquisque alterum charitate complectatur, & arctissimum societatis vinculum, quod certis adstringitur legibus, integrè servetur, ac nullò tempore disrumpatur. His igitur inducti rationibus piè salubriterque Majores constituerunt, ut *Diocesanos* nonnunquam Conventus instituerent, ac de rebus gravissimis verba facerent. Per fugium namque ac solatium adversis rebus, quæ Verbi Divini Ministris haud rarò accidunt, studia ac mutua colloquia præbent, animosque curis ac laboribus fractos erigunt iterum ac refocillant. Vestram itaque pietatem laudo, quòd

A 3

Vos,

† Instit. Orator. Lib. VI. c. IV. p. 494. edit. Lugd. 1665.

Vos, ô *Mei*, votis invitationique factæ respondetis, ac præsentem Locum tenetis, mihi que spem facitis haud exiguam, fore, ut ea omnia benevolè interpretemini, quæ vestigiis Antecessoris Optimi insistent, in Synodo præsentis sum allaturus in medium. A Deo verò Optimò laborum primordia meritò cepimus, inque sermone sacrò, qui de falsi Prophetæ Haniae præproperâ morte (†) instituebatur, nostræ pietatis memores, mortalitatem exuendam esse percepimus, atque ad verbum Domini imperterritò animò docendum & amplectendum nos invicem sumus adhortati. Gratibus itaque Deo persolutis, ac sacris sacrâ in æde absolutis, ad reliqua, quæ Actui huic solenniori propria sunt, accedendum esse temporis efflagitat ratio. Cum ergò ante consuetum Disputationis Actum oratio quædam mihi habenda sit, agite, quæso, *Auditores Æstumatissimi*, ac veniam date, si argumentum quoddam copiosissimum, Virorum quorundam benè meritorum, memoriam concernens, parùm eleganter facundèque exposuero.

De Viris autem Claris, quos fama ac eruditio nobilitavit, in congressu Vestro acturus, non in universum omnes enumerabo, sed eos tantùm, qui immortale *Schmidiorum* Nomen habent, ac vel libris conscriptis, vel muneribus publicis inclarescentes, omnium merentur admirationem. *Doctos* ergò *Schmidios* Vobis sisto, Theologos atque Philosophos excellentes, quorum famæ assurgitis omnes, quorum scripta manu utrâque, hoc est, libenter ac promptè, amplectimini, ac quorum merita virtutesque gratâ colitis memoriâ ac observatis. Hos verò commemoraturus, aures Vestras patientissimas facilè exoro, ut ad breve temporis spatium me benevolè audire dignemini. Qui officii causâ has dicendi sumsi partes, & id daturus sum operam, ne ultra tempus Vos deti-

† ex Jerem. c. XXIX. v. 15. 16. 17.

detineam, aut campus Vobis præcludatur, in quò Vestra excurrere virtus noscique possit.

Grande verò ambiguumque suscepi negotium, de *Doctis Schmidis* dicere in præsentì ingressus. Ac ita dicere, ut & creptorum defleam mortes, & merita virtutesque adhuc superstitem celebrem. Utrumque majus molientis viribus est, qui nec ingeniò unquam valui, & nunc otio quoque deficio. Nimirum & animos cumprimis, non corpora tantùm, laboriosæ exercitationes debilitant. Quid igitur faciam? Fatebor meam infirmitatem, quam affectûs magnitudo mihi imposuit. Scilicet religioni duco, non solvere Præceptori, quod jamdudum addixeram. *Schmidius* enim ille, qui *Lipsiam* hodie incolit, Urbem illam primariam Misniæ, & mercibus studiisque per orbem notam, eò pertraxit animum, ut *Clarorum Schmidiorum* facta recensere, meque hòc ipsò disciplinæ suæ gratum extitisse alumnum publicè commonstrarem. Reliquos autem *Schmidios* enarraturus, *Schmidium Lipsiensem*, cui plurima quidem, & infinita propemodùm debeo, vix prætereundum esse crediderim, cui insimul, Vobis applaudentibus, animum variorum beneficiorum memorem hòc ipso declarare habeo constitutum. *Jacobum Andream*, Theologum Württembergensem, non attingo, qui Pontificiis ac Reformatis ludibrio est ac *Schmidling* vulgò dicitur, neque eos produco, qui Latinum *Fabrorum* Nomen sibi tribuerunt, ut *Felix Faber* (†), *Jacobus Faber*, *Stapulensis* (††) *Ba-*

† Patriâ fuit Tigurinus è nobilissimâ *Schmidiorum* Familiâ ortum trahens, ac Coenobii Ulmenis Lector & Prædicator. Vixit seculo post Christ. nat. decimo quinto, ac Peregrinationis suæ Hierosolymitanæ, quam cum *Bernh. Breitenbachio* fecerat, Historiam edidit. Vid. Guil. Cave in *Hist. Liter. Parte alt. p. 316.*

(††), *Basilius Faber*, (†††) aliique à *Möllero* commemorati,
(††††) *M. Zachæus Faber*, qui in vicinâ urbe Chemnicensi pri-
marium Verbi Divini egit Ministrum, ac Superinten-
dentis defunctus est officio, variisque inclaruit scriptis,
&

†† *Inter veritatis Evangelicæ & bonarum literarum Instauratores*
haut ignobile in Galliis nomen est Herm. Witſio in Exercit. Aca-
dem. VII. p. 312. Persecutionis ejus ac fatorum tristium meminit
Joh. Sleidanus, Comment. Lib. V. p. m. 83. b. edit. Argent. 1555.
Plura verò laudis virtutumque argumenta Scævolaë Samaritha-
ni Lucubrat. P. alt. Lib. 1. p. 1. sqq. suppeditat. Inter scripta, quæ
edidit, refertur Introductio in decem Ethicorum Libros Aristote-
lis, nec non in Politicam Aristotelis, quam Bibliotheca nostra
Annæbergensis Publica eaque Ecclesiastica habet, atque erudi-
tis conspiciendam exhibet. Felicem Fabri vitæ hujus catastro-
phen describit A. Rivetus T. II. Opp. p. 1266. & ex eo Witſius l. c.
p. 314. ac Dn. M. Joh. Conr. Feuerlein / Fautor meus cum curâ
colendus, in Novissimis Macrocosmi, p. 1321. sqq. Ipsos Pontificios
de hõc Fabrò malè sentire indicat Andr. du Sansſay Continuatio
Bellarmin. de Script. Eccles. p. 27. edit. Tull.

††† *Inter Centuriarum Magdeburgensium Conditores refertur no-*
ster, quippe qui in quatuor prioribus elaborandis occupatus
fuit. Vixit Erfurti, Magdeburgi & Quedlinburgi, ac variis e-
ditis scriptis, inter quæ Thesaurus Eruditionis Scholastica, à Buch-
nero, Thomasio, Cellario, Viris ad miraculum doctis, locuple-
tatus, & eruditis accessionibus auctus, eminent, laudem haut
vulgarem est consecutus. Conf. B. D. Casp. Sagittarii, Præce-
ptoris mei & Fautoris, cum in vivis esset, olim æstumatissimi,
Introductio in Hist. Eccles. p. 247. Cum Quedlinburgi hæreret,
è D. Mart. Lutheri aliorumque Virorum piissimorum scriptis
collectas de Novissimis & statu Animarum separatarum Medita-
tiones divulgavit, quæ auctius Lipsiæ 1584. prodierunt.

†††† *In Homonymoscopiâ p. 668. seqq.*

(†) & *Zacchaum Christocraten*, Filium, nec non *Theophilum*, Ne-
potem, utrumque Philosophiæ Magistrum, ac in templo Jo-
hannæo, quod ibidem in suburbio est, Pastorem, dedit, ac
M. Jeremias Faber, Archidiaconus Dresdensis, fuere, (††) &
quibus denique *Johannem Albertum Fabrum*, (†††) accenseri

B

pos-

† Undecimus fuit Ephoriæ Chemnicensis Antistes, atque à pie-
tate, zelo, eruditione, græcarumque præsertim literarum no-
titiâ, & judicio commendari meretur. Patrem nactus est E-
jusdem Nominis Virum, Poëtam Græcum Laur. Cæsar. qui pri-
mùm Scholæ Torgaviensis Rectoratum administravit, ac postea
Hohenleinensi Pastoratui admotus fuit. Cum verò literis im-
butus esset necessariis, A. 1604. ad Diaconatum Dippoldiswal-
densem, ac A. 1609. ad Pastoratum Sernewizensem, & denique
A. 1611. ad Pastoratum & Ephoriam Chemnicensem, quam ad
A. 1632. usque (hic enim ipsi fatalis fuit) magnâ cum laude sub-
iit. Libellos edidit asceticos, precatorios, duabus partibus
constantes, ac Quotidianum Christianismi Exercitium exhiben-
tes, quos *B. Henr. Hæpfnerus*, Theologus ille Lipsiensium ce-
leberrimus, præfatione quâdam lectu dignissimâ ornavit, *Lips.*
1624. Conciones Funebres, *1625.* ac Veram Electorum Nobilita-
tem, Gratosam Libertatem, Principalem & Regalem Digni-
tatem, *1627.* nec non Tractat. de Duellis ac Provocationibus.
A. Val. Weigeliæ asseclis, qui Tschopaviæ, Ephoriam Chemni-
censem agnoscens, morabantur, cum infestatum fuisse legi-
mus, sed imperterrito animo conatus eorum deprimere studuit.
Tandem verò, cum Annos XLIX. transegisset, vitam placidè
cum morte mutavit. In funere hujus Theologi ad Ps. CXIX.
v. 143. verba fecit ad populum Vir disertus æquè ac gravis *M. Se-
bastianus Hommelius*, *Diac. Chemnicensis.*

†† Ab Anno 1621. usque ad An. 1666. ibidem docuit ac tandem pla-
cidè defunctus est, filiò *M. Joh. Jeremiâ Fabro*, *Diacono Lu-
scaviense*, relicto.

††† Edidit Vir Clarissimus non solum in Academiâ Patriâ, quæ *Li-
psia* est, Dissertationes eleganter ac eruditè conscriptas, ut *Συμ-
μιντα ωρι τωv O*, *Lips. 1688.* De Antiquorum Philosophorum,
Stoi

posse arbitror; sed de illis tantum loqui animus est, qui
Schmidiorum modò, (ut eos pariter, qui vel *Blebschmidii*, *Ei-*
senschmidii, *Hammer Schmidii*, *Hart Schmidii*, *Kleinschmidii*, *Peil-*
schmidii, *Waldschmidii* (†) dicuntur, excludam) cognomen

fe-

Stoicorum maximè, Cavillationibus, *Lips. 1692*. De Platonismo
Philonis Judæi, adversus Joh. Jonsum, *Lips. 1693*. sed etiam
Scriptorum recentt. Decadem, 1698. (quod scriptum tamen
præter meritum iniquam nonnullorum subiit censuram, hinc
nullius pretii est Epistola illa, ut dicitur, Amicatoria ad Virum
hunc doctissimum ob emissam Decadem à nescio quò seurrâ
scripta,) ac Plagiariorum & Pseudonymorum Centuriam, vel
Decadem Decadum, cui de Lexicis Græcis accessit exercitatio,
Lips. 1689. Eodem Autore Bibliotheca Latina, seu Notitia Au-
torum Veterum Latinorum prodiit *Hamburgi 1697*. Prætereà Li-
bros Apocryphos, quos additis præfationibus variam eruditio-
nem spirantibus, emendatiùs imprimi iussit, atque Notas in A-
risteam scriptas. Placent Viri Doctissimi Lucubrationes Eru-
ditissimis Lipsiensibus, qui Acta Eruditorum dare solent, non-
minus, quàm Exteris, Caveo, Mollero, aliisque laudatæ, hinc
reliqua, quæ molitur, schediasmata, *Manethonis Ægyptii Apo-*
telesmatica, & *Bibliotheca Græca*, ut prodeant propediem, me-
cum in votis habent.

† *M. Christophorus Blebschmidius*, Scheibenbergensis, Pastor op-
pidi Metallici *Zwöniz* dicti est, ac Gener B. D. P. P. Röberi, Su-
perint. Fribergens. ante triennium piè denati. Exposuit hic
Discursu Academico *Monomachiam Davidis cum Goliatho* per
Problemata quædam moraliter expressam, sub Præsidio Dn.
Christ. Röhrensee, 1681. & Præsidis defungens officiò exercitatio-
ne politicâ *Theocratiam sanctam in sancto populò institutam*, *Wit-*
teb. 1682. ac sub præsidio Celeberr. Theologi, Dn. D. Joh. Frid.
Mayeri, *Matæologiam Labadianam*, quâ potiora religionis Ca-
pita Elencho notatam, *Witteb.* 1685. proposuit. *Job. Cass. Ei-*
senschmidius, Phil. & Medic. Doctor Argentoratensis multum
operæ in adstruendâ ovali telluris figurâ posuit, uti ex pec. sche-
diasmate de *Figurâ Telluris Elliptico spheroidè A.* 1691. liquet, quâ
de

fecerunt suum. Atque inter eos primò locò nominandus est *Erasmus Schmidius*, (non Reipublicæ Nordhusanæ Con-

B 2

ful

de sententiâ conf. *Acta Erud. ad. A. X. p. 315. seqq.* & M. Gottfr. Tenzelius in pec. de *Ovô Mundanô* præf. Excell. Dn. Joh. Andr. *Schmidio Jene 1693. ventil. dissert. p. 38. sqq. A. 1675. M. Cass. Hammerschmidius* obiisse dicitur, qui Consiliarius Ecclesiast. & Superintendens Onolsbacensis fuit, ac varias conciones *Nuptiales & Funebres* emisit in lucem publicam. In Academia Argentoratensi floret *Job. Nicol. Hartschmidt*, SS. Theol. D. Log. & Metaph. Prof. P. Ordin. Capit. Thom. Canon. & Ecclesiastes, cui varias Dissertationes philosophicas debet studiosa Juventus. Cum in Academia Wittebergenfi, quæ & Eum mihi Amicum dedit, viveret, atque Ordinis Philosophorum Collega esset, tribus vicibus publicè disseruit, scil. 1684. de *Autochiria Simsonis licita*, & 1685. de *Jure Dei in Homines*, nec non 1686. de *Hæmorrhoidibus ad 1. Sam. VI, 5.* Patriæ redditus non solùm Scholæ, quæ inibi est, publicæ triviali operam navavit docendo, sed etiam Academicas lectiones instituit, & adhuc hodiè habet magno discentium Applausu. Sequentes ad manus meas, curâ, quam eò nomine publicè deprædico, Amici integerrimi, Dn. *M. Georgii Frid. Hempelii*, Græcarum & Orient. LL. callentissimi, pervenerunt dissertationes. Dedit verò *A. 1686.* Specimen Usualis Logicæ de Concreto & Abstracto, Doctrinam de Præsentia, Theologiam Ciceronis, ac Senecæ *πρωτον & δευτερον.* *A. 1687.* Utilitatem atque Præstantiam Metaphysices ostensum ivit. *A. 1698.* Theses de Necessitate, ac Singularitate, Præscientiâ Divinâ, an inferat rebus necessitatem? Duratione Angeli, & Omnipotentiâ Dei conscripsit. *A. 1699.* disseruit de Theologia Naturali ac de Deo, Octo insuper conscripsit Dissertationes philosophicas de Immortalitate Animæ, atque Platonis, Ciceronis, Aristotelis, nec non recentiorum Philosophorum sententias magno studio investigavit. Commendandi sunt Viri Optimi labores, qui puriori Theologiæ inserviunt, hinc dignum censemus, ut, si Deo ac Patronis visum fuerit, diviniore literas interpretaretur, ac Majorum Gloriam cum *Zentgravio*, ac reliquis

fulille, ejusdem nominis, cui M. *Andreas Poachus*, (†) Verbi Divini Minister apud Erfortenses, quatuor conciones à Megalandro Luthero de *Mortuorum resurrectione* habitas, calamo antè exceptas & post typis excusas An. 1563. inscripsit,) sed Græcarum literarum ac Mathematicum Doctor publicus, nec non olim Academiae Wittebergensis Senior. In hoc enim, sive eum ut juvenem, sive virum, sive senem spectemus,

quis Includæ Academiae Viris tueretur. Specimen *ix ε, ότιτος* exhibuit in Dissert. inaug. de *Justificatione ex Fide, non ex Lege*, ad *Gal. III, 11. 12. 1696.* Quam spartam ut ipsi Deus ex voto duit, animitus precor! *Johannes Henricus Kleinschmidt* / Jurium atque Moral. Doct. & Prof. Marpurgensis *A 1686.* dissert. civilem conscripsit, inque illa suspectum Gallorum Judicium, *De la Chambre D' Arest de Metz* discussit. Et alius ejusd. cognominis, *M. Job. Georg. Kleinschmid* / *Sondersh. Schwarzb.* in *Acad. Witteb. 1696.* de quæst. *Utrum Ambidextri sint pravi?* Disp. phys. edidit. *Peilschmidiorum* nomen haud ignotum est, è quibus *D. Carolus Henricus Peilschmidium*, *Cygneum*, Causarum Patronum, adduco, qui, abjuratâ Religione Lutheranâ, ad Pontificiorum transiit cœtum, adversus quem in *Peilschmidio explorato & deplorato* calamum strinxit *Annæbergensis Eccl. Archidiac. M. Enoch Zobelius*, *νῦν ἐν ἀγίοις*, *Lips. 1688.* Superiùs laudanda Academia Marpurgensis colit *Job. Jac. Waldschmidium*, Medicinæ ac Physices Prof. Ordin. Celeberrimum, qui editis Institutionibus Medicinæ Rationalis & succinctâ Medicinæ Rationalis Praxi per casustradita, ut ex *Actis Erudit. Ann. IIX. & IX.* cognosci potest, egregiam Nominis famam sibi acquisivit. Quibus Dissert. de *Colore Æthiopum*, 1683. de *Potu Theæ*, 1685. de *Verâ Origine Fontium dulcium & salinorum*, 1686. addere volupe est. Hisce tandem adjicio *M. Christ. Schmidichen* / *Sittaviam Lusatam*, qui *A. 1661.* cum sacris studiis in *Acad. Lips.* operaretur, de *Afortiâ* disseruit, sed num adhuc in vivis sit, non habeo compertum.

† Fuit Ileburgensis domo, ac constans Lutheri auditor, Ejusque Tomorum primus Editor, ap. B. L. Joach. Fellerum, in *Pref. Cygnorum Quasimodog. lit. A. 2.*

mus, varia occurrunt, quæ laudem haud vulgarem ipsi de-
ferre possunt. Patriam nactus est *Delitium*, ac Patrem, Ma-
thematicarum rerum atque Mechanices, nec non Musices
& Poeseos insigniter peritum, & Civitatis illius Consulem,
Thomam Schmidium, à quò An. 1570. vitam post Deum acce-
pit. A teneris verò Græcas literas sic amavit & coluit, ut
hisce quasi natus ac vernaculò sermone innutritus videretur.
Didicit illas non solùm in *Electoralì*, qui Portæ est, *Ludo*, sed
etiam in *Almâ Leucoreâ*, ac invidendos prorsus in hisce stu-
diis fecit progressus, ut pauci ipsi pares putarentur, nulli ve-
rò ipsi anteferri potuerint. Græcis adjunxit Mathematicas
disciplinas, easque ita excoluit, ut alii ad erudiendum ipsi
traderentur. Duo sunt, quæ in *Schmidio* notari merentur;
Antè scilicet, quàm publico admoveretur officio, duabus
vicibus ipsum Divina Benignitas exercuit, viresque ipse suas,
in quantum Numini adhærere valerent, sanctiori stimulò ex-
ploravit. Ablegabatur à magni nominis Theologò, *Ægi-
diò Hunniò*, Leutschoviam, ut Scholæ Rectoratum ibi capef-
feret. Quò profectus, omnium quidem favore excipie-
batur, sed munere speratò excidebat, atque sic vota *Schmi-
dii* irrita planè erant ac vana. Idem fati genus subire oport-
uit *Schmidium*, ubi *Melcbiori Justelio*, Medicinæ Doctori, Pro-
fessio Mathematica, quam noster pariter sibi expetebat, com-
mittebatur. Sed Schmidio huic mirâ cupiditate auxilium,
à Deò petenti nova affulsit spes, cum nimirum Græcarum
literarum Professio autoritate publicâ auspiciis felicissimis
ipsi demandaretur. Hanc spartam, honorificam sanè, per
XL. annos tantoperè ornavit, ut sibi famam haud intermo-
rituram, Academia verò ingens ornamentum conciliave-
rit. *Athenas in Græciâ enituisse* novimus; Et hic Græcarum
literarum Doctor incomparabilis scientiæ suæ radiis univer-
sam penè illustravit Wittebergam, ut cum eruditissimo illo

Belga, *Erasmo Roterodamo*, quem superior stupuit ætas, de principatu contendere videatur. Docuit namque tum voce tum scriptis, ac quid in eruendis Græcorum monumentis perficere possit, uberrimè explicuit. Sive enim Græcas in Novum Testamentum Concordantias, sive exquisitas in Pindarum Notas, ac libellum de Græcorum Dialectis Germanis vulgatum inspexeritis, næ stupendæ eruditionis thesaurum habebitis, ut summò jure Eruditis Germanis in Græcas literas benè merentibus accenseri possit. (†) Cum in eò totus esset, ut *Pindari*, Lyricorum Principis, *Carmina* emendaret, atque nitidiore donaret vestitu, specimen quoddam observationum A. 1611. publicavit, atque in Epistolâ Viros eruditione præstantissimos & Clarissimos, *Janum* puta, *Gruterum*, *Conradum Rittershusium*, *Danielem Heinsium*, *Davidem Hoeschelium*, verbis exquisitissimis oravit, ut ex Heidelbergensium, Noribergensium, Lugdunensium, atque Augustanorum Bibliothecâ, Codices MSStos in usum concederent, conatusque hosce rei literariæ bono promoverent. Accidit ergò non ita multò pòst, A. 1616. ut fidem datam liberaret, ac Pindarum elegantissimis illustratum notis orbi literato exhiberet. Quantò autem applausu, quantòque tripudiò hunc omnes exceperint, verbis exprimi non potest. *Sanè cum Pindarus ejus prodiret in lucem*, disertissimus ille Orationum, *Augustus Buchnerus*, loquitur, (††) *in usitata diligentia opus ita obstupuisse eruditissimos Belgarum non ignoramus*, &

† Non immeritò itaque doctus ille Juvenis ac Paternarum virtutum æmulus haud infelix, M. Joh. Casp. Lœscherus, in *Dissert. acad. Witteb. 1697. de Meritis Germanorum in Græcas Literas* conscriptâ, §. V. Nostrum eò nomine maximis laudibus efferendum esse judicavit.

†† In *Dissert. Acad.* quippe quæ prolixè res gestas Viri hujus Clarissimi describunt, quibus Th. Spicelii *Templum Honoris* pag. 344. sqq. addatur, p. 492. sqq.

ora obvertisse sua, ut ultrò faterentur, tantum in difficillimò non
modò, sed corruptissimò etiam Auctore prestitum à nostrò, quan-
tum prestari ab ullo mortalium posse, vix credidissent antè. Cum
ergò haud ita pridem *Theatrum Sheldonianum*, quod in cele-
berrimâ Academiâ Oxoniensi floret, præstantissimum hunc
Autorem Doctissimorum Virorum curâ exornatum daret pu-
blico, Latinam Odarum Versionem Schmidii nostri, quem in
mentem Autoris altiùs penetrâsse quàm Criticorum cæteros,
candidè profitetur, retinuit, adhibitis pariter in consilium
Scholiis Ejus eruditissimis. †) Nòrunt enim Exteri, quantus
fuerit Schmidius ille Wittebergensis. Temporis injuriâ fa-
ctum est, ut commentationes Ejus ineditæ, quibus Dionysium
Afrum ac Lycophronis Cassandram, obscurissimum multò
& intricatissimum Poëma, illustravit, in publicum non pro-
dierint. Benè autem de sacris mereri coepit, cum in uni-
versum Novum Testamentum notas philologico-theologi-
cas daret, ac tum præclaram Græcæ Lingvæ notitiam, tum
summam rerum divinarum scientiam luculenter common-
straret. Quamvis verò difficillimum in se suscepisset nego-
tium, non tamen spem omnem abjecit, sed in Deò colloca-
vit unicè, quod, licet dubiæ res omnes, ac penè desperatæ,
imò de Wittebergensium salute actum esse videretur, Di-
vini tamen Numinis Benignitas eum conservare ac vitam
prorogare possit, quò pensum utiliter absolveret suum.
Sequentia ergò in fronte codicis sui annotata lectores piè
admirati sunt: *In Nomine Jesu Christi spero ego Erasmus
Schmid, Wittebergam non devastatum iri, antequam pius labor
circa Novum Testamentum totus absolutus fuerit. Deus eam
cum totâ Ecclesiâ suâ diutissimè conservet, & hostes ejus confun-
dat.* Et eventus ipse respondit votis. Sartam enim tectam-
que

† Vid. Excell. Dn. L. Ott. Menckenii, quem hòc tempore fasces
Academiæ tenentem submissè colimus, *Programma, An. 1697.*
cum Renunc. XVII, Baccal. Solemnia indiceret, conscriptum.

que conservavit non minùs Scholam illustrem, quàm ipsum sanctissimum senem, ejusque lucubrationibus ita benedixit, ut ex animò iis colophonem imponere potuerit. Cùm verò ultima verba Novi Testamenti exponeret, ipse Deus illum ex hâc vita evocare meditabatur, sensit enim nonnihil horro-
 roris febrilis, ac de morte instante cogitare coepit, suos, in-
 ter prandendum, ita alloquens: *Ea verba, quibus D. Johannes vaticinio suo, & ego hodiè laboribus meis imposui finem, novissima fuerunt prioris meæ conjugis, demigratura in alteram vitam: De me quid brevi futurum sit, docebit dies. Mihi profectò hac res haudquaquam videtur omine carere.* Discite itaque cum Schmi-
 dio Deo constanter adhærere, ipsique animas vestras luben-
 ti lætòque animò tradere. Gaudet verò Ecclesia Ortho-
 doxa thesaurò hòc, quippe quò styli Θεοπνευστων præstantiam, à Barbarissimis ac Soloecismis liberare, inque sensum oracu-
 lorum divinorum rectè inquirere valet. Utatur quietè scri-
 ptò hòc utilissimò, sic illi non deerunt Exegetæ ac Theolo-
 gi præstantissimi. Reliqua scripta, Orationes in obitum Taubmanni Poetæ, ac Rungii Theologi, Balduini identi-
 dem & Meisneri, Clarorum istorum Dresdensium, habitas, nec non dissertationes de Calendarii Emendatione, ac Ca-
 lendariò Papisticò, luce publicâ hòc tempore non indignas, ac Centurias falsitarum ac defectuum in Rhenianæ Gram-
 matices libellò observatorum, lubens nunc prætereo. Unum adhuc circa *Sibyllina Schmidiana*, quæ aliàs laudem eximiam obtinuerunt, & Annotationibus in Novum Testamentum adjecta sunt, prætermittere nequeo, in illis asseri, Oracula Sibyllina ab immediatâ & extraordinariâ Θεοπνευσία esse de-
 ducenda. Quæ sententia ipsi quidem communis fuit cum *Wolfgangò Franzio*, ast periculosa videtur esse, & Scripturæ Sacræ auctoritati multum detrudere. (†) De familiâ Schmi-
 dia-

† Vid. B. D. Joh. Bened. Carpzovius in dissert. theolog. de Θεοπνευσία Script. S. ad 2. Tim. III, 16. p. 56. Lips. 1697.

dianâ, cujus portio quoque celeberrimus ille Hamburgen-
sium Doctor, *Johannes Müllerus*, fuit, nil attinet dicere. Tan-
dem verò A. 1638. cum annos sexaginta & octo vixisset, pla-
cidè in Dominò suò obdormiuit. Quiescat ergò in pace,
ac præmiò coelestis beatitudinis, post tot exantlatos labores,
æternùm fruatur. Ad reliquos Schmidios, nec Vobis, *Au-*
ditores Optimi, ignotos, pergendum est. Sisto autem pri-
mum *Johannem Schmidium*, Budissenâ Lusatam, SS. Theol.
Doctorem, ac de Ecclesiâ & Academiâ Argentoratensium
meritissimum Virum. Virum in tantum laudandum, in quan-
tum virtus ejus ac inusitata in Ecclesiam merita efflagitant.
Sed utinam dignis modis laudes ejus decantare possem!
Nôstis, Auditores, *Schmidium* tantùm à *Schmidio* posse com-
mendari. *Sebastianus* enim *Schmidius*, qui perspectas habe-
bat Incomparabilis *Schmidii* virtutes, prolixâ ac tersâ Oratio-
ne officium Præceptoris suo, Promotori æquè ac Collegæ,
exolvit felicissimè, quò ipsò notum fecit omnibus, magnam
jacturam Ecclesiam Orthodoxam morte hujus Viri esse pas-
sam. Cùm discentium occuparet subsellia, & Argentora-
ti, Tubingæ, Jenæ ac Wittebergæ hæreret, eximios & haud
pœnitendos studiorum profectus nactus est, ut summâ cum
laude Professionem Theologicam, quam Ipsi Argentora-
tenses prudentissimi, divinas Schmidii dotes intimiùs per-
spicientes, unanimi consensu offerebant, capesseret. Unde
verò jam, Doctorem hunc utramque cathedram occupan-
tem conspiciens, initium aut finem dicendi faciam, scio
cum ignarissimis. *Magnum* enim fuisse *eloquio*, ac cum
Dorscheo, qui *magnus* erat *acumine*, ut *Dannhauerus* judi-
ciosè de hóc Theologorum pari non impari scripsit, Ar-
gentoratensem Academiam *Pappis* & *Morbachiis* seculo prio-
re celebrem hoc seculo, quod ad finem nunc veloci currit
pede, illustriorem fecisse, omnes mecum gratò ore veneran-
tur. Si scripta Ipsius exegetica ac polemica, quæ ut Prophe-
tas minores tantùm non omnes explanaret, Augustanæ Con-

feffionis patrociniū in se fusciperet, ac Calvinianorum
 scommata elideret, Colmariensesque tueretur, latino pari-
 ter ac germanico idiomate conscripsit, accuratiori perlu-
 straveris oculo, mirum ingenii acumen ac perspicuum di-
 cendi modum in eis deprehendes. Dantur hodiè, quod
 mireris, inter Theologos haud pauci, qui capita fidei tra-
 dentes ea involvere magis, quàm evolvere solent; Ast no-
 ster Schmidius planè ac perspicuè omnia expedivit, ac in hōc
 alios longissimè superavit. *Didymum Alexandrinum* verbis
 aptissimis, cum de Spiritu S. scriberet, usum esse, Doctorum
 sententia est. *Nimis subtiliter de rebus non differit, Lud. Ellies
 du Pin*, homo Gallus, (†) appositè scribit, *difficultates tamen
 omnes explanat. Uno verbo, optandum esset, ut Scholastici sibi
 proposuissent Tractatum illum imitandum, ejusque methodum se-
 quuti essent, cum de religionis mysteriis egerunt.* Idem ut de
 Schmidio nostro feramus judicium, rei nos monet necessitas.
 In sacris verò ac homileticis scriptis insignem eloquentiam,
 cum gravitate conjunctam, & nil affectati, nilque indecori
 habentem, observamus. *Gregorii Nazianzeni*, Seculi IV. Do-
 ctoris, facultatem oratoriam stupet mecum ac sera venera-
 tur posteritas, ast *huic nimis, quàm par erat, præsertim in ser-
 monibus Encomiasticis, eum indulgisse constat, unde sequentium se-
 culorum erroribus circa invocationem sanctorum viam inter pri-
 mos stravisse videtur,* eleganter satis Anglorum Decus illud
 eximium, *Gvil. Cave*, (††) expressit. Hæc verò scripta
Schmidiana evolventi metuenda non sunt. Ita enim,
 quamvis vir esset eloquentissimus, & tonitrua magis,
 quàm verba spargere videretur, sibi temperavit, ut ne ullò
 verbulò aliis esset offendiculo, nec ἀκυρολόγως loqueretur.
 Percurrite quæso Conciones ejus, vel Pœnitentiales, vel
 Festivales, vel Exequiales, vel Conscientiarias, vel Sapientiam

Chri-

† In *Biblioth. Aut. Ecclesiast. T. II. p. 226.* †† In *Hist. Liter. P. I.
 P. 197.*

Christianam, (†) vel officia Praeconum aut Magistratus Politi-
tici, vel alias, cujus generis & illæ sunt, describentes, ac me-
cum fatebimini, Musas hunc intra velum docuisse, & jucun-
dè suaviterque locutum esse ac commentatum. Nunquam,
credite, quantum spiritus hos reget artus, memoriâ excidet
Carpzovii Lipsiensis, Theologi istius Magni, cujus mortem
præmaturam lacrymis justissimis adhuc prosequi fas est, egre-
gium ac verum pronunciatum, quod de hōc Schmidio, quia
Doctrinâ ejus & convictu olim frui ipsi contigerat, dederat,
amœnitatem ingenii, sublimitatem judicii, oris suavitatein,
zeli puritatem, animi constantiam, vitæque sanctimoniam
magnificis verbis dilaudans. (††) Si Vobis (Et cui non?) stu-
dia sacra curæ sunt ac cordi, hunc eligite Doctorem, hujus
evolvite scripta, & salutaria ex iis excerpate monita, cordi-
busque Vestrorum Auditorum magnò infigite studiò. Post
Lutberum nostrum, in cujus solò nomine ò quantum est mo-
mentum! nemo nostratum tam copiosas tamque prolixas
edidit Homilias, ac *Schmidius* noster. Qui ergò hunc non
legit, næ is studia planè non intelligit, vel malitiosè averfa-
tur. Ast fuit hic *Schmidius*, suasque cathedras, quas voce

C 2

im-

† Sapienciam quidem Christianam scripsit Noster, quâ scil. ratio-
ne quivis Christianorum officio suo queat satisfacere, non au-
tem in *Librum Sapientie*, ut Heideggero in *Enchirid. Bibl. p. 520.*
videtur, est commentatus, notante Th. Crenio in *Animadv.*
Phil. Hist. P. 2. p. 106.

†† Ita verò de Viri celeberrimi Divinis Dotibus ejusque in Prophe-
tas Minores editò Commentariò ingenuè in *præfat. Comment.*
Tarnoviano præmissâ scripsit: *Job. Schmidius, summus & in-*
comparabilis Theologus, quem me olim Argentorati hospitem & Præ-
ceptorem biennium integrum habuisse in non postremâ felicitatis
parte repono, cujus quidem posthumus, sed plane aureus in δω-
δεκα πέντε φηται Commentarius ante annum demum, postquam
beatissimus Vir jam undetriginta abhinc annis mortalitatem exue-
rat, hic Lipsiæ adspexit lucem.

imperterritâ animaverat, tandem A. 1658. reliquit, postquam sexaginta quatuor annos in hâc vitâ laudabiliter exegisset, atque mundi præsentis miserias cum æternis gaudiis permu- tâsset. Hujus obitum magni nominis Theologus, *Jacobus Wellerus*, (†) sequenti deflevit carmine:

Diluvia Pietas oculos, Ecclesia plange,
Plora Relligio, Schmidius occubuit!

Quem celebrare satis non possum, nemo Beati
Et merita & laudes dicere fat poterit.

Hinc tantùm tumulum amplector, tacitusq; gemensque
Est parvus, novit qui, dolor ille, loqui.

Ex *Marthâ Taufrerianâ, Johannis Taufreri*, Theologi Ar- gentoratenſis, cui diſſertationes accuratiſſimæ, adverſus *Piſcatorem* editæ, clarum inter eruditos dederunt nomen, filiâ ſuſcepit filium, *M. Johannem Schmidium*, qui tum vivente Pa- tre, tum ipſo mortuo, Argentoratiſium Eccleſias ornare ſtudit, ac vel eô nomine meritò celebratur, quòd doctas B. Parentis ſchedas ſolicitè inquiſiverit, eaſque Eccleſiæ com- modo ac communi uſui dedicaverit. Idem ſtadium de pu- blico benè merendi hujus Generum, *Balthaſarem Frieder. Salzmannum*, SS. Theolog. Doct. & Diac. N. Templi Argent. cepit, quem *Fragmenta Schmidiana ac Paſtorale Schmidianum* publico dediffe novimus. Sed licet cœlitibus adſcriptus ſit *Schmidius* noſter, ejus tamen celeberrimi nominis fama per Europam ſparſa nunquam morietur, omnesque rapiet in ad- mirationem perpetuam. Aſt ô ſi diſſertationes *Job. Schmidii* Exegetico-Didacticæ, quibus varia ſcripturæ Dicta illuſtra- vit, diligenter conquiſitæ in unum redigerentur fasciculum, næ incomparabilem rerum ſacrarum Cultores haberent the- ſaurum. Vota hæc utinam rata haberent vel *Zentgravius*, vel *Hartſchmidtus*, nec inviderent Exteris aureas illas medi-
ratio-

† Vid. Schmidii *Orat. Funeb.* p. 66. & Dn. Andr. Carolus in *Memo- rab. Eccl. Tom. II.* p. 184.

tationes, quas in oculis ferre huc usque consueverunt! (†) Huic Theologo, Vestra pace, alium jungo, *Sebastianum Schmidium*, qui nostrâ ætate Argentorati docuit, & haud ita pridem vivere desiit. Est verò is *Johanni Schmidio*, sive meritorum amplitudinem, sive officiorum splendorem intuearis, planè non impar, si non illò superior. Patrem quidem nactus est hominem paganum, *Sebast. Schmidium*, Carpentarium Lamperthemensem, sed qui bonâ indole ac ingenii felicitate viliores nascendi sortem superavit, ac tum in Scholis trivialibus, tum in Academiis, Argentoratensi, Marpurgensi, Wittebergensi, (in quâ *Wellerum*, Epistolam ad Romanos explanantem, constanter audivit) Regiomontanâ, ac Basileensi, aliisque locis exteris, magnum eruditionis thesaurum sibi comparavit, ut Ecclesia Orthodoxa uberrimos fructus inde perceperit. Argentina autem hic *Schmidius* erat consecratus à Deo, ideò per sexennium, cum in seminariò viveret, Pastor Eushemiensis fuit, atque hòc absolutò ad Rectoratum Lindaviensem, concomitante illum munere Ecclesiasticò, abiit, antè verò quàm spartam hanc geminam sibi imponi pateretur, duabus vicibus sub Gamalielis sui, *D. Job. Schmidii*, Præsidio fortiter disputavit, ratus, utilissimum hoc esse exercitationum genus, nec temerè ab iis, qui Academiis valedicunt, negligendum. Mirandos autem ductus, quos expertus est noster *Schmidius*, quæso mecum perpendite. Summâ fide ac diligentia Eum in Scholâ & Ecclesiâ Lindaviensi docuisse, ex eò colligitur, quod Argentinenses famâ Viri allekti illum, cum Magnus ille *Dorscheus* Rostochium petiisset, ad Professionem Theologicam suscipiendam eò convocarent. Ægrè quidem à Lindaviensibus dimissus, paruit tamen divinæ vocationi, ac Argentina suæ redditus, nihil intermisit operæ, quò fidem Deo, zelum Ecclesiæ, Academicæ Juventuti studium, applau-

C 3

den-

† Conf. Wittenii *Theol. Mom. Dec. IX. p. 1266.* & Thom. Spicelii *Templ. Honoris p. 251. sqq.*



dentibus omnibus, comprobaret. Cum inter Doctores Theologiae cooptaretur, in certamine inaugurali, quod antiquissimam fidem Mosaicam circa SS. Trinitatis Mysterium sibi vendicabat, fidelem habuit παραστάτην M. Johannem Martinum Schwabium, ex Familiâ Schwabianâ, quæ Annæbergæ inter præcipuas refertur, oriundum. Verè de hõc Schmidio affirmare possum, Eum cum illustri Ecclesiæ Veteris Doctore, Hieronymo, paria fecisse, ne dicam, hunc superasse. (†) Erudiit autem Juventutem non solum voce, sed etiam scriptis variis, iisque incredibili studiõ elaboratis. Recenserem illa longâ serie, ni à Vobis diligenter evolverentur. Scripta sunt, ut paucis dicam, exegetica, ac Geneseos Librum, Judicum Acta, Jobi facta, arguta Salomonis dicta, Jeremiæ Vaticinia, Regum Israëlitarum res gestas, Apostolorum Verba, elegantissimâ accuratissimâque expositione descripsit, ut omnibus fermè scripturæ Interpretibus videatur palmam reddere dubiam. Hujus Commentarios magnõ cum studiorum fructu adeundos esse omnes mecum confitentur. Utinam plures dedisset! *Cornelii à Lapide* Commentaria in omnes fermè Codicis sacri libros scripta nescio quem consecuta sunt applausum, quæ tamen, *Dannhaueri* sententiâ, vel ex *Bezæ* Notationibus sunt excerpta, vel, ut aliis satis rectè videtur, mendaciis ac fabulosis scatent relationibus, (††) ac cum judicio lectionem instituendam esse svadent. *Schmidiana* verò scripta eò tutius consuli possunt, quò rectius omnia tradita sunt, quæ in illis occurrunt. Cardinalem illum Purpuratum, *Cæsarem Baronium*, triginta, an-

† Vid. *Programm. Academicum*, à Dn. D. Joh. Joach. Zentgravio, t. t. Rectore Acad. Argentor. cum Incomparabilis Viri flebile funus indicendum esset, conscriptum, in quò eleganter exponitur, Nostrum *Hieronymo*, antiquæ Ecclesiæ Doctori, adjungi posse. Meretur illud lectionem accuratam.

†† *Dannhauerus* *Hodosoph. Phænom. IX. p. 943.* & *Crenius Animadv. Philol. Histor. P. I p. 27.*

annorum spatium impendisse in conscribendis annalibus ac refutandis Centuriis Magdeburgensium, relatum legimus. Quid verò in hóc laboriosissimò Opere sit præstitum, sodales ejus per me exponant. (†) *Schmidius* noster illum superavit, cum Novam Bibliorum Versionem, Opus quadraginta Annorum, (††) miram diligentiam exposcens, adornaret. His scriptis utimur meritò cum gratiarum actione, quam Deo, Ejusque servo fidelissimo totò pectore offerimus. Exegeticis meditationibus alias Theticas in Librum Concordiæ, Polemicas adversus Pontificios, Latinò pariter atque Germanicò stylò expressas, jungimus. (†††) Decessit verò, honorum ac vitæ sator, ex hâc mortalitate A. 1696. cum ultimis paginis Versionis Bibliorum, quas Typographus exhibuerat, ultimam manum admovisset, annum ætatis agens septuagesimum nonum. Decessit quidem improles, ast ingenii fœtus immortalẽ *Schmidiani Nominis* famam ad posteros propagabunt, atque adversus ingrati seculi mores masculè vindica-

† Commendari merentur Excell. D. Mayeri *Eclogæ de fide Baronii ac Bellarm. ipsis Pontificiis ambigua*, Amstel. 1697. editæ, cui Guil. Cave in *Prefat. Hist. Lit. P. alt.* ac Sagittarius in *Introduct. in Hist. Eccles.* addi possunt.

†† Ita enim Summè Rev. Fac. Theol. Argentor. in *Prefat. novæ Biblior. Verf.* præmissâ de hóc labore judicat: *Interpretatio hæc est grandævi Senis. Jam ad octogesimum vitæ annum erat perventurus. Venerabimur ergò venerandi Senis judicium, multis annis exercitatum, multisq; exercitiis defecatum. Vinum vetus exhibetur, non recens mustum. Num verò hic Senis deficientis labor fuit? Absit. Ante annos quadraginta versionem fuit meditatatus. Hanc excoluit; Tandem edidit, ita ut super hóc fœtu ultimò Spiritum emitteret.*

††† Syllabum Scriptorum impressorum calci concionis funebris à M. Job. Theobaldo Henrici, Præcone Argentoratensium disertissimo, ad Jer. XVII, 16. 17. habitæ, adjectus est, ac omnia Ejus complectitur scripta, Latina pariter atque Germanica, quibus *Notationes in Geneleos ac Regum Libros* tantùm adjiciantur.

dicabunt. Floreat *Schmidius* in cœlis! Floreat in terris! Floreat in omnem æternitatem! Ad reliquos *Schmidios* perre-cturus, vela Orationis ut paulò contraham, Vester me monet Conspectus. Tribus ergò, ut in proverbio est, verbis eos indicabo. Prædicat autem Fama *Ulricum Schmidium, Ulmensem*, qui tum in Gymnasio Ulmensi Spiritûs S. literas, Græcas putà atque Hebræas, ac divina mysteria docuit, tum in templo primario Concionatorem egit, & cum A. 1633. ætatis 32. præmaturam subiret mortem, ingens desiderium post se reliquit. Memoratu dignum est symbolum ejus, quò se quotidie recreavit:

Amor meus crucifixus est.

In cruce fixus amor meus est. (†)

Academia Tubingensis aluit *Henricum Schmidium*, qui Diaconi officium primùm sustinuit, ac postea Græcas literas docuit, & cœlestis doctrinæ dogmata interpretatus est, sed An. 1653. spe citius ad superos migravit. *Nihil ipsi ad felicitatem summam defuit, nisi ætatis maturitas*, pulchrè *Andreas Carolus* (††) scribit. *M. Daniele Schmidium*, Augustanum domò, ac in patriâ Verbi Divini Ministrum, ac post Ecclesiæ Poseniensis Præconem ac Seniore, Viri Clarissimi, *M. Gœbelii*, Generum, placidè A. 1660. cùm annos quinquaginta sex vixisset, denatum *Antonius Reiserus* in quâdam ad Th. Spizelium datâ
Epi-

† Conf. D. Pauli Freheri *Theatrum Virorum Clar.* p. 454. ac H. Wittenii *Diarii Biograph. Tom. II. p. 41.* Prodiit 1652 *Institutio Anti-Melancholica*, quæ M. Ullr. Schmid. Autorem agnoscit. Et B. Geierus in *Opusc. Philol. p. 306.* facit mentionem *dissert. I. de Protio* à nostro habitæ.

† *Mem. habil. Eccles. T. II. p. 68.* cui adde H. Wittenii *Diarii Biograph. ad A. 1653.* Cum summos in Theologiâ Honores pre-fareret, de *Cathedrâ Petri s. Infallibilitate Pontificis Rom. 1652. exercitationem theolog.* eamque primam adversus *Bellarminum & Gretserum* conscripsit, alteram non vidi.

Epistolâ, his verbis nostræ memoriæ commendat: (†) *Daniel Schmidius, Ecclesiæ quondam, ob ! quondam Poseniensis Antistes & Senior undiquaque gravissimus, per duodecim nunc annos & ultra in pace Domini quiescens, tristium fatorum, quæ Cælo jam irato Hungariam imprimis Evangelicam premunt, & tantum non planè opprimunt, Propheta, heu! nimis quàm veridicus.* Annus millesimus sexcentessimus sexagesimus septimus fatalis fuit *Johanni Rudolpho Schmidio, Baroni à Schwarzenhorn / Pontificiæ Religioni addicto, Consiliario Cæsareo Bellico, & Legato ad Portam Ottomannicam splendidissimo, nec non sylvarum per Austriam Inferiorem Præfecto, ac Wilhelmo Schmidio, Secretario inter Svecos non ignobili.* Sed cum horum fama penè intermorta sit, neque eos prolixiori sermonis ornatu commemorare mihi est volupe. (††) Vicina Cygnæorum urbs *M. Tobiam Schmidium*, de Scholâ & Ecclesiâ, imò universâ urbe, ob editum Chronicon benè meritum habuit, quem An. 1659. rebus humanis valedixisse constat. Sed filium is dedit *M. Bernhardum Schmidium*, Virum sui nominis, Ecclesiasten Dresdensem vigilantissimum, ac totius Ministerii Seniore gravissimum, qui, variis editis scriptis germanicis, ante biennium, & quod excurrit, cum sexaginta & duos complevisset annos, inter mortales vivere desiit. (†††) Sed post se

D

reli-

- † Est illa Epistola *Templo Honoris*, quod B. *Spizelius* extruxit, adjecta, ubi & p. 407. verba adducta legi possunt. Synopticè autem vitæ rationes descripsit *Freherus l. c. p. 618.*
- † Conf. *Freherus l. c. p. 779.* Societatis *Fructiferæ* socius fuit, acceptò cognomine, *der Verdienende / ac p. 1178. sq.*
- † Laudabilis totius vitæ cursus in Conc. Funebri à *Pur. Rev. Dn. M. Joh. Henr. Kühnio*, Archid. Dresdens. cum hic ~~verba~~ *Salvatoris* verba *Luc. XXIII, 46.* exponeret, descriptus est, qui inibi consuli potest. Scripta germanica, quæ edidit, maximam in partem *Conciones Funebres* complectuntur, quibus *Parelii Apostolici, s. Dicta & Gesta selectiora ex Actis Apostolorum, Dres-*

reliquit Filios, *M. Godofredum Schmidium*, Diaconum Ecclesiæ Coldicensis, & *Samuelem Theodorum*, Philosophiæ Cultorem, (†) adhuc superstites. In urbe Wittebergâ, clarissimâ illâ & antiquissimâ veræ pietatis ac religionis Scholâ, Diaconatûs officium sustinuit *M. Caspar Schmidius*, Tschopensis, qui anno 1673. cum quadraginta quinque annos transegisset in munere sacrô, quandam commentatiunculam *de officio susceptorum ac convivarum in S. Synaxi* edidit, ac non ita multò post incola cœli factus est. (††) Num *M. Johannes Schmidius*, Theologus ille cœcus, ut vulgò dicitur, atque ex libellis tum precatoriis, tum de Malitiâ & Impietate Judæorum scriptis celebris factus, adhuc inter vivos sit spiritumque trahat, non adeò perspectum mihi esse ingenuè fateor. Memoratu dignum est, quod pueriles annos agens, licet casu quôdam oculorum luminibus privaretur, initiò in Gymnasio Nortlingensi, ac deinceps in Argentoratensi Academiâ egregiam studiis navaverit operam, tantosque fecerit progressus, quos nec plurimi oculorum aciem habentes facerent. Gradum Magisterii Argentorati obtinuit, & inter Candidatos Theologiæ non ultimus ipsi locus adjudicatus fuit. Verba fecit aliquando publicè in Gymnasio Patrio *de Visu carentium conditione, à literarum amore*

de 1675. edita, accedunt. Sub præsidio B. Henrici de *Primo-geniturâ Christi*, nec non, cum ipse Præsidem ageret, de *Ebrææ Lingua, Hominis Ætatibus, ac Linguis in genere* disputavit. Claris igitur *Cygnis Quasimodogenitis* summo jure à B. Fellerio in scripto suprâ nominato annumeratus fuit.

† Debemus huic tres dissertationes Academicas, quarum prima *Solonem Legislatorem A. 1688.* descripsit, altera 1692. de *Contradicendi Studio* egit, ac tertia *Colloquia Ecclesiastica in genere A. 1693.* recensuit.

†† Reliqua scripta enumerant Henn. Witte *Biograph. Diar. Tom. II. p. 101.* in eò tamen eum hallucinatum esse deprehendo, quod scribat eum A. 1671. obiisse, cum A. 1673. Tractatum modò nominatum edidisset, ac Ephr. Prætorii *Bibl. Homiletica in Indd.*

more & laude nullâ ratione, nec tempore ullò excludendaorum, & temporis successu quoque, cum inter Argentoratenses viveret, de oculis ad vitia patranda, inque mentem introducenda, ex sensibus haud minimum operis conferentibus, in Eruditorum confesso præclarè disseruit, ac *Jacobi Schalleri* Encomium, hisce constans verbis, reportavit:

Democritus cæcus, cæcus fuit Appius olim,

Vidère ingenii lumine plus, quàm oculis.

Desit optata postquam spes ultima lucis,

Incepit mentis lux radiare Tuæ! (†)

Videte itaque, Benignissimum Numen defectus naturæ bonitate ingenii posse compensare. Præclarissima illa Musarum officina, quæ *Helmstadii* est, & eximios quòvis in scientiæ genere alit Viros, *Johannem Andream Schmidium* complectitur, Augustæ Vindelicorum natum, SS. Theol. Doctorem, ac Professore Historiæ Ecclesiasticæ & purioris Theologiæ Celeberrimum, nec non Abbatem Mariævallensem perquam Venerabilem. Valdè benefica ac liberalis prorsus fuit Jena illustris, cum aliis hunc Virum traderet, qui summum ornamentum semper conciliavit. Philosophiam æquè ac Theologiam docuit *Schmidius Jena*, & singulis ostendit satis abundanter, ad studia sacra se natum esse ac aptum. Quot compendia edidit in philosophicis, quot dissertationes, varias artium ac disciplinarum partes exponentes, conscripsit, tot eruditionis admirandæ produxit testes, ut vix dijudicari queat, num vel à judicio, vel ab indefessò docendi studio mereatur commendari. (††) Non minori autem alacritate studia sacra

D 2

est

† Vid. Dn. Andreas Carolus l. c. p. 295. sq.

†† Dissertationes, quæ *Schmidium* vel Autorem agnoscunt vel Præsidentem, numero haud exiguæ sunt, & in præsens, quarum quidem copia mihi facta est, Lectorum Bono commemorandæ. Quædam in uno fasciculo comparent, ut *XVI. dissert. physica*, quibus *totius scientiæ naturalis Delineatio* accessit, nec non

Vario-

Variorum Philosophicorum Decas, in quâ continentur Hippar-
 chus, Theones, doctaque Hypatia, in Mathesi celebres; *Q*-
 ueur Heroum Filii interdum noxæ. Anaximenis Vita atque Phy-
 siologia, Sciatericum Achas & in eò miraculum; Collapsi Hie-
 richuntis muri; Cæcus de colore judicans; Brevis disquisitio
 de processibus disputandi; Logica Brutorum; Geometria Bruto-
 rum; Surdus de sono judicans. Reliquas secundum annorum
 feriem annotare placet. Disputavit verò *Anno 1679.* de Seleni-
 tis è Lunâ proscriptis, cum in Fac. Philosophicâ Locus Ipsi da-
 retur, Resp. Dn. Joh. Christ. *Загриц* / Curiensi, h. t. Phil. &
 Opt. Art. Mag. nec non, defuncto Patriæ Scholæ Rectoratu, op-
 pidi Selbensis Pastore, Summè Rev. Dn. Joh. G. *Загриц* / Super.
 Gen. Vinariensium Fratrem dilectissimo; *Anno 1680.* de Officio Ma-
 gistratus circa Tempora Pestis; *A. 1683.* de Archimede, Archyta
 Tarentino, Labore Solis laborante sole Justitiæ, & Terræ Mo-
 tu tempore Pass. Christi, de Themate Christi Natalitio, à non-
 nullis impiè & absurdè erecto; *A. 1684.* de Republica Formica-
 rum, it. an ex falsis detur demonstratio? *A. 1685.* de Arato, Phæ-
 nomenorum scriptore, & Euclide Geometra; *A. 1686.* de Sene-
 cã, Ejusque Theologiã, & de sensu Propriæ Infirmitatis Pæ-
 dagogo ad Revelationem, Resp. Joh. Phil. Treunero, qui in Pro-
 fessione Log. & Metaph. Præceptorum suo successit, & nunc SS.
 Theolog. Doctoratus Axiomate gaudet; *A. 1688.* de Anaxagora
 Ejusque Physiologiã; *A. 1691.* de Sophismatibus Philautiæ &
 Theologiã Hippocratis Naturali; *A. 1693.* de Ovo Mundano,
 Statuã Nebucadnezaris ad Dan. III, 1. & Reginã Austri ex I. Reg.
 X, 1. *A. 1694.* de Medicinã Affectuum, Aure *Годантв* ac Di-
 ptychis Vet. Christian. *Eodem Anno* ac Præfide Joh. Weidnerus
 Pietatem ex Nummis Antiquioribus erutam delineavit. *A. 1695.*
 de Templis Demetrii Argenteis ad Act. XIX, 24. Altaribus Por-
 tatilibus, Geomantia olim Pulveris Inscripta, Curatione Mor-
 borum per oleum sanctum ad Marc. VI. & Jac. V. ac de Euchari-
 stiã Mortuorum pro Licentiã Theol. sub Præf. D. Val. Velthenii.
 Illustravit quoque Nummos Bracteatos Cizenses Pegaviensesq;
 commentatione quãdam eruditissimã. Ut taceam Exercitatio-
 num histor. theol. Trigam de Misa Siccã, Muliere in Ecclesia,
 ac cultu Evangeliorum *A. 1692.* editam & Nomini Soceri sui,
Geor-

est aggressus *Helmstadii* scriptisque publicis huc usque ostendit, quid de ipsò sit sperandum. Eò verò celeberrimi Viri labor tendit in præsens, ut antiquæ Ecclesiæ ritus ac instituta describat, & monumenta Græcorum ac Latinorum evolvat, ac quid in illis contineatur dilucidè exponat. (†) Tradidit quoque haud ita pridem Theologiam Didacticam in Nuce, ac plura ejusdem generis Compendia, Theologiæ scilicet, Exegeticæ, Historiæ Casuisticæ dare fidem suam obstrinxit.

D 3

(†) Huic

Georgii Gætzii, Theologi & oratoris sacri ap. Jenenses excellentissimi, sacratam, ac in Act. Erud. ad *A. 1692. p. 349.* commemoratam, nec non scripta Philosophica in gratiam auditorum composita, & homilias sacras; Ejus pariter curâ B. Collegæ sui, D. Casp. Sagittarii, *Introd. in Hist. Eccles.* prodiit, ac spem fecit Rei Literariæ, fore ut Memoriam Sagittarianam instauret & reliqua vel emendatius vel noviter è MSS. codicibus, quos nactus est, prodire jubeat.

† In Acad. Helmstad. differuit publicè *A. 1696.* adv. Helmontium, de Statu Integritatis & Corruptionis, nec non de Quietismi Revolutione in Quietistis sec. 14. & præsentis, ut & Insignioribus Vet. Christian. Formulæ. *A. 1697.* de Baculo Pastoralis, Ecclesia Virgine ad Euseb. H. E. L. IV. c. 22. Baptismo per Arenam ad Niceph. Hist. Eccles. L. III. c. 37. Tria pariter Programmata *A. 1695. 96. 97.* de primitivæ Ecclesiæ Lectoribus conscripsit. *A. 1698.* de Muliere Heterodoxâ & Orthodoxâ, Fasciis & Sudariis Christi, ac Omophorio Episcoporum Græcorum, publicato insimul Programme de Justini Theologiâ Morali. *A. 1699.* edidit B. Joach. Hildebrandi Rituale Baptismi Veteris nec non Theatrum Naturæ & Artis singulis semestribus novis machinis & experimentis augendum Curiosos pandere occœpit, paravitque Animadversiones ad Liberii de S. Amore Epistolas Theologicas. Ex scriptis Schmidii Nostri Philosophicis theses quasdam, s. Skeleton Philosophiæ, dedit M. Joh. Mich. Heineccius, quod studium ipse Schmidius epistolâ quâdam non improbavit. Prodiit quoque Homilia quædam, *die ungleichen Gottes; Gelehrten / ex Matth. II. Festô Epiphan.* ostensa.

(†) Huic ergò magni æstimmii Theologo, Principibus ac Doctis charo, vires incorruptas & Spiritus S. gratiam, quò suo præesse possit officio, totò pectore apprecamur! (††) In eâdem Academiâ floruit olim *Melchior Schmidius*, SS. Theol. Licentiatus & Græcarum literarum Prof. Publicus, sed qui ante paucos annos vitam terrenam cum alterâ, cœlesti scil. mutavit, unâ aut alterâ tantùm dissertatiunculâ relictâ. (†††) Ad Facultatem Medicam ibidem refertur *Johannes Schmidius*, qui Physicum Ordinarium agit, & in curandis hominum morbis non vulgari gaudet peritiâ, cujus laudatio Johannis Baptistæ, *Johanni Eisenhartio*, Doctori ac Professore Juris celeberrimo, inscripta, in eruditorũ versatur manibus, ac *Helmstadii* 1690. prodiit. Vicinam *Quedlinburgensium* Scholam regit adhuc hodiè *M. Samuel Schmidius*, vir meritis ac annis gravis, suumq; nomen edito *Hodego Epistolico* ad posteros transmittere studuit. (*) Sed nunc ad Academiam Patriam accedo, inque eâ Viros eruditione præstantes, virtute conspicuos devotò mentis cultu veneror. Ex illis verò *Johannem Schmidium*, Theologum atq; Philosophum excellentem, SS. Theol. Licentiatum, Eloquæ

† Vid. Act. Erud. A. 1699. Mens. Jun. p. 288.

†† Est quoque *Schmidio* nostro frater adhuc, qui, ni fallor, prope *Thermas Schwalbaccenses* Ecclesiæ puriori inservit, ac Christi oves verbo divino pascit, sed accuratâ Ejus notitiâ me destitui fateor ingenuè.

††† A. 1671. conscripsit Programma, in quo de *Æliani Hist. Variar. LL.* quædam notavit, adjecta *Æliani* vitâ à *Philostrato* descripta. A. 1685. de *Linguis sacris* nonnulla commentatus est. A. 1694. edidit *Commendationem & Defensionem LXX. Interpretum* Verf. à *Joh. Pearsonio* scriptam, præmissâ ad Lectorem *Compellatione*. A. 1695. pro *Licentiâ Theologicâ* sub *Præf. D. Henr. Wiedenburgii* de *Scriptur. Divin. Inspiratione*, more Academico, disseruit. Diem autem, quem habuit in hâc miseriâ, ultimum identidem ignoro.

* Recensuerunt illud scriptum utilissimum *Dnn. Collect. Actor. in Supplem. T. I. p. 360.*

tia Professore Publicum, Alumnorum Electoralium Ephorum, ac Collegii Mariani Seniore, eligere, & quanti Ejus disciplinam habeam, brevibus indicare constitui. Clarissima Silesiorum metropolis, Vratislavia, foecunda magnorum & eruditissimorum Virorum nutricia & genetrix, dedit nobis hunc Virum, ac Lipsia, Silesiorum mater, aluit & fovit hactenus non sine magnò ipsius emolumento. Non sine causâ verè affirmare possum, Lipsiam Silesiis benè cupere, atque eos invidendò modò provehere. Balthasarem Hilscherum, Lucam Pollionem, Valentinum Alberti, (Scherzerum incomparabilem ad Bohemos Exules refero) Johannem nostrum Schmidium, Johannem Güntherum, Lipsiam meam ut Patriam veneratos esse & adhuc agnoscere, quis, quaeso, Vestrùm ignorat? Tam benignè enim Lipsia hæc indulgentissima exteros respicit, ut suorum quandoq; Civiū videatur oblivisci, quò tantùm exteris amorem exhibeat. Et sanè ni Musarum hoc Emporium exteros coleret, nec *Schmidii* copia Ipsi fuisset facta. Erudiit autem per varios annorum decursus Juventutem Academicam non minùs in Philosophicis, quàm Theologicis, *Dannhaueri* juxta ac *Scherzeri* scripta explanans, crebrò examine repetens, atque in disputationis actu vindicans ac confirmans; Quò ipsò se jamdudum dignum reddidit, ut cathedræ Theologicæ admoveretur. Et ò si Deus nostra vota haberet rata, & hunc utilissimum Virum publicis rerum sacrarum Antistitibus annumeraret! O quàm innumeris beneficiis puriores cœtus nostris in regionibus ac longè diffitis oris maectarentur! Sed habet Deus suas horas & moras. Unusquisque tamen rectè & integrè sentientium benè Ipsi cupit, atque concatenatos Ejus labores precibus & consilio juvare haud intermittit. Et profectò *Schmidium* qui non amat, hunc Musæ non amant. Multa me Ipsi debere, lubens profiteor, quippe qui benè de meis aliorumque studiis est meritis. Virtutes Ejus decantarem prolixius, ni fama illarum ad
Vos

Vos quoque, *Auditores Dilectissimi*, pervenisset. Vel enim coràm istas suspexistis, vel virtutum Vestrarum æmuli, filii Vestri, Deliciæ suavissimæ, gratò ore & plenis buccis deprædicarunt. De inusitatâ *Schmidii Lipsiensis* modestia, de summâ lenitate animi quid dicam? Prætereo incredibilem Ejus candorem, quem plerique quidem nunc pro simplicitate atque inscitia habent, prudentiores tamen summis laudibus meritò extollunt. Propter has aliasque ingentes virtutes & præclarissima merita integra secula vivere dignus est, si & patere-tur naturæ lex, neque id ipsum Ei oneri ac molestiæ foret. Varias conscripsit hætenùs & publicè defendit Dissertationes, quæ judicii acrimoniam undique spirantes, summò applausu ab Eruditis fuerunt exceptæ, † & multò plures dedisset, ni
 sacra

† Syllabum Disputationum academicarum sub Præsidio *Schmidii Lipsiensis* propositarum dare nunc animus est. Dissertuit autem
A. 1671. de Deo ut Trino ex principiis philosophicis non demon-strabili. *A. 1672.* de Angelis ex principiis philosophicis non demõ-strabilibus. *A. 1674.* de Animæ Rationalis Immortalitate ex principiis philosophicis non demonstrabili. *A. 1677.* de Jure Hominum in Bruta, Conscientiâ Erroneâ, & Poena in Mortuos. *A. 1679.* de Obligatione Legum Civilium. *A. 1680.* de Jure Majestatis circa onera publica. *A. 1683.* de Gymnosophistis, Fatalitate Nominum priorum humanorum, Fatalitate Temporum, ac Moralitate Ludorum Scenicorum. Anno *1684.* de Liberis ob delicta Parentum non puniendis, Peccato Originis à Gentilibus ignorato, & Brutis Hominum Doctoribus. *A. 1685.* de Ritu ap. Judæos recepto solvendi è vinculis Reum Festò Paschatos, Reverentiâ erga Senes, Quartadecimanis (quam ut Respondens defendi) ac Probatione Rerum Dubiarum per Aquam factâ; *A. 1686.* de Honore Brutis non competente. *A. 1687.* de Potus Moralitate, *A. 1688.* de Liberâ Principis Causa Lingua, & Jure Hominis in Mundum. *A. 1689.* de Pacti metu extorti obligatione; *A. 1691.* de Mortis reo, jussu Magistratus legitimi mortem sibi ipsi inferente, Rei è carcere fuga, & Esu Carnis Humanæ licito; *A. 1692.* de Percussoribus & Proverbiorum Fal-siver-

co-
Ve-
edi-
mâ
an-
ue
ritò
ræ-
ere-
ret.
nes,
usu
, ni
cra
idii
tem
non-
mõ.
e ex
re
rtu-
jure
, Fa-
te
Anno
cato
bus.
Fe-
nam
per
687.
gua,
ob-
timi
rnis
Fal-
ver-

facra studia, quibus natus est ac naturâ aptus, omne tempus ipsi præripuissent. Veneratus sum olim Eum Præceptorem, nunc verò Fautorem integerrimum benevolentissimumque, imò quoties eum adeo, toties doctior ab eò recedo. Illi ergò ut semper benè sit, ac res omnes ex votò fluant, ardentissimis precibus voveo. Unicus Ipsi est Ascanius, *Johannes Valentinus*, qui Valentinum Alberti reddat, atque Patrem factis æquiparare possit, votorum nostrorum summa est! Sed *Jo-*

E

ban-

fiverbiorum Decadibus duabus; *A. 1693.* de Viviseptura, (hanc frater meus dilectissimus, G. C. Gœtzius, J. U. D. respondendo defendit.) *A. 1694.* de Philosophiæ in Theologiâ Usu; *A. 1695.* de Psevdo-Principibus. *A. 1696.* de Combustione Librorum Hæreticorum. *A. 1697.* de Palinodiâ Eruditorum. *A. 1698.* de Statua Hæmorrhousæ & de quæst. An Parentibus liberos suos vendere liceat? *A. 1699.* de Favore Necessitatis. Conscripsit *A. 1685.* Programma publicum, cum Professionem Eloquentiæ adiret, de Raimundo Lullio, Ejusque Arte, nec non eodem Anno pro Gradu Licentiaturæ dissert. exegeticam de Christi Victoriâ Gloriosâ ad Col. 2. 15. Commemorarem quoque eos, qui Respondentium partes in hisce certaminibus subière, ni ad finem deproperarem, & omnes, ubi locorum nunc degerent, mihi cogniti essent. Nonnulli, ut Dn. M. Joh. Jac. Petri, quem in oculis ferebat Schmidius & conjunctissimò amore colebat, Dn. M. Joh. Christ. Geierus, Magni Geieri filius, & Dn. M. Joh. Ben. Weismüllerus, qui in patriâ ditione Præco fuit, cœlitibus adscripti sunt. Quidam eorum muneribus publicis præfecti laudem prorsus singularem promerentur, ut Dn. M. Christ. Eschoche / Pastor in Diocesi Martisburgensi, Dn. M. Joh. Wolffg. Colerus, Ecclesiæ Mönchb. ni fallor, Archidiac. Dn. M. Godofr. Springerus, Amicus meus tenerrimè dilectus, in Silesiâ Ecclesiar. Inspector, Dn. M. Joh. Casp. Nimptsch, Vratislav. Diac. Dom. M. Dan. Schreiter, Past. Diocesi. Torgaviens. Dn. M. Th. Paulus Steger, Pastor Castrensis, Dn. M. Christ. Andr. Schubart / Past. Marckersbacens. Diocesi. Annæ Mont.. Dn. M. Joh. Gottlob Hempel / Past. Diocesi. Grimmens. Ut Dn. Joh. Frid. Gottschalck / J. U. Licent. & Advoc. Ordin. Budissinensem, non attingam.

Johannis Schmidii Fratrem ne prætermittam, humanitatis est ac pietatis. Wratislavia scil. ac Lipsia in unum usum sibi tantum vendicavit nobilissimum hocce Par Fratrum. Natu majorem Lipsia amat, Wratislavia autem natu minorem, *M. Christianum Schmidium*, Eumque Ecclesiastico juxta ac Professorio munere defungentem suspicit atque deveneratur. (†) Tueatur hunc fortissimum Athletam omnipotens Deus, ac ne unquam adversi quid Ipsi accidat, semper & ubique protegat! Inveniuntur & adhuc alii, qui celebre *Schmidiorum* gerunt Nomen, ut *M. Johannes Schmid*, (††) *M. Christianus Schmid*, Penigâ Misnicus, (†††) *M. Christoph Schmid*, Geranus, (††††) *M. Gregorius Schmid*, (*) *D. Job. Fried. Schmidius*, (**)
D, Ge-

† Inclaruit tribus editis dissert. physicis & in Acad. Lips. ventilatis. *A. 1673.* de Iride, *A. 1675.* de Viribus Imaginationis, *A. 1677.* de Resurrectione rerum artificiali materiam colloquii academici habuit.

†† Nil certi, quod de eo referam, habeo, præterquam quòd in Acad. *Erfurtensi* *A. 1671.* Consiliarium Discursibus Historico-Politicis illustraverit. Ejusdem nominis est *M. Job. Schmidt* Drosnensis, Cunersdorffensium ac Trettinensium Pastor Reform. Relig. qui de *Novitate* sub Præs. *D. Job. Christ. Becmanni* *A. 1693.* in Acad. *Francof.* disserendo vires suas exercuit.

††† Disputavit hic *A. 1670.* in Acad. Lips. sub Præs. *M. Job. Franckii* de Pelecano, & *A. 1673.* pro præsidio de Cretensium Vituperio ex *Tit. I, 12.* ac postea Burgensis Ecclesiæ, (quæ me quoque ante novenniū habuit Pastorem, prope Magdeburgum,) ad *D. Nicolai* fuit Diaconus, sed peste, quæ *A. 1682.* & sequente ibi grassabatur, correptus in ipsò atatis flore vivere desiit.

†††† Non solum sub Moderamine *M. Job. Henr. Wolffii* *A. 1683.* in Acad. Lips. Enucleationem Fabulæ de *Ziz Sadai* dedit, sed etiam præsidendo *A. 1684.* de Prodigiiis sanguineis disseruit.

* Gymnasii Zittaviensis in Lusatiâ Collega Tertius fuit, sed nunc cœlestibus fruitur gaudiis.

** Argentoratensi Reipubl. & Reliquis Principibus fuit à consiliis, &

D. Georgius Andreas Schmidius, (*) D. Job. Schmidius, Cöpericensis
Marchicus, (**) & docti hinc & inde viventes Juvenes, (***)
qui in Academiis & Gymnasiis publicas ventilârunt exercita-
tiones. Hæc, quæ mihi, licet indigno, Superiorum volun-

E 2

ta-

& A. 1637. æt. 60. obiit. Emisit *Consilia Argentoratensia Juridica*
ap. *Wittenium Biograph. Diar. loc. cit.*

* Egrotavit hic, cum in vivis esset, Illustris Reipublicæ Noribergen-
sis Consiliarium, sed A. 1697. cum breve iter suscepisset, ab equis
ferocibus rhedâ excussus, præmature fato obiit. Post mortem
ejus prodiit scriptum posthumum, *Sculptura Historiarum & Tem-
porum Memoratrix*, cura Christophori Weigeli, cujus Synopsis
exhibent Acta Erud. ad A. 1698. p. 9. sqq.

** Præsides D. Marco Rhodio in Acad. Francof. A. 1690. de Pericu-
lo in Mora pro Gradu Licentiat. disputavit.

*** Sic Sylvester Henricus Schmidius, Lichtenbergâ-Variscus, in
Acad. Jenensi 1684. Præsides M. Christ. Martino Colero Heroes Eo-
rumq; Virtutes descriptas defendit. Daniel Schmid, Geda-
nensis, in Patrio Gymnasio de *Enigmate Simsonis è Jud. XIV, 14.*
Præs. D. Ægid. Strauchio A. 1679. cum Eruditis placidam instituit
disquisitionem. Johannes Schmid, Sedinensis, in Acad. Rostoch.
præs. M. Job. Gottl. Möllero, *ἡ ἑξ ἀπορίας, Lutherum ut Confes-
sorem Martyri contradistinctum* A. 1693. proposuit. Job. Phil.
Schmidius, Alsfeldia-Hassus, in Acad. Giess. A. 1696. Præsidi M.
Andrea Kempffero, differenti de *Stupendo Israëlitarum sub Duce
Arcâ Fœderis per Jordanem Transitu auxiliatrices præstitit ope-
ras.* Johannes Henricus Schmidius, Svinfurtensis, SS. Theol.
Cultor, in Acad. Jenensi A. 1691. de *Theologia Hippocratis Natu-
rali* Præsides Dn. Job. Andr. Schmidio, P. P. verba fecit. M. Job.
Ludovicus Schmidius, Schleusingo-Francus, in Acad. Lips. 1699.
de *Silentio Pythagorico* Dissert. conscriptam exhibuit Erudito-
rum Cœtui. Nec vulgarem eruditionem in eadem Lipsiensium
Academiâ sectatur Job. Antonius Schmidt / Westphal. Philos.
Baccal. & SS. Theol. Stud. qui Doctissimo Juveni, M. Job. Frid.
Oleario, J. U. Cult. magni Parentis filio eximia spei, de *estimar-
dis Hominibus* A. 1699. publicè differenti stetit à latere.

tate, commissa est diœcesis, duos agnoscit *Schmidios*, quorum alter *M. Tobias Schmidius* (*) illi valedixit, alter adhuc *Josephus Schmidius, Crucenacensis Palatinus*, Ecclesiæ Sehmen-
sis Pastor ac meliori fortunâ dignus, eandem incolit, ac So-
lennia Synodalia lætus Vobiscum celebrat. Si in *Angliam*,
excurrem, (**) vel Jesuitarum Scholas perlustrarem, in-
gen-

* Stolbergensis domo est, & in *Acad. Lips. A. 1676. de Virtute Heroicâ* sub Moderamine Dn. *M. Georgii Lani* disputavit, & à B. Scherzeri ore diligenter pependit. Ecclesiæ Beyerfeldensis in Diœcesi Annæmontanâ primùm Substitutus ac dein Pastor fuit, nunc verò Ecclesiæ Langenhestensi defuncto Zwönizensis Ecclesiæ Diaconatu, in Diœcesi Zwickaviensi, operam locat suam.

** *M. Mart. Kempius* in *Biblioth. Anglorum Theologicâ* varios sistit *Schmithios*, Henricum, Johannem, Militem, Nathanaelem, Nicolaum, Petrum, Samuelem, Thomam, Wilhelmum, Zachariam, Zephaniam. Quem hic Militem vocat Kempius, Eum Henningus Witten in *Diar. Biograph.* ad *A. 1624. Milonem* vocat, Eumque Episcopum Glocestriensem fuisse, ac *Sermones varios* reliquisse asserit. Idem *Wittenius* mentionem quoque facit *Richardii Smithii* ad *A. 1655.* qui totius Angliæ & Scotiæ Ordinarius fuit, & annos octoginta & octo vixit, variis emissis scriptis Polemicis. Edidit hic *Parisiis 1654. Florum Historiæ Ecclesiast. gentis Anglorum Libros VII.* qui rem literariam Anglorum insigniter juvant, ut *Henr. Meibomius* in *Addit. ad Vogleri Introd. Univers. in Notit. Script. p. 193.* quædam speciminis loco adducit. *Thome Smithii*, Equitis illius Aurati & Regis Eduardi VI ac Reginæ Elisabethæ Consiliarii, vita descripta est *Londini 1698.* quæ & proximis diebus comparebit in *Actis Erud.* accurante Viro Clariss *M. Frid. Gvil. Schüzio.* Nostrâ ætate inclaruit Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter, *Thomas Smithius*, qui *Miscellanea* quædam eruditæ lectionis edidit. *Acta Erudit.* ad *A. 1687. p. 92.* & *A. 1690.* novum *Miscellaneorum* volumen dedit atque à Simoni detorsionibus prius dicta liberavit; Vid. *Acta Erud.* ad *A. 1691. p. 81.* Huic quoque *Catalogum Librorum MSS. Bibliothecæ Cottonianæ* debemus, *Act. Erud.* ad *A. 1696. p. 441. sqq.* Laudabile in simul studium posuit in colligendis *Epistolis Gvil. Camdeni* & illu.

gentem quoque *Schmidiorum* numerum (*) vobis sisterem, sed temporis habenda est ratio, & ad reliqua, quorum gratia huc accessimus, deveniendum. Unicum verò, antequam claudam rivos, moneo, Cognominis hujus *Schmidiani* rationem tam accuratè reddi non posse, inque eam me descendere sententiam, illam plerumque ex liberâ hominum impositione derivandam esse (**). Hæc itaque de *Claris Schmidis*, Vobis præsentibus, commemorare visum est, non ut illos Vobis incognitos fuisse censeam, sed ut certiores reddam singulos, quibus mea, si qua sunt, studia debeam, & quod è *Schmidiorum* scriptis ac scholis multum eruditionis ad literarum Cultores derivari possit. Ad gratias tandem accedimus, easque Deo persolvimus maximas, quod tam illustres atque egregios *Schmidios* Ecclesiæ suæ hucusque concesserit, Eorumque indefessa opera hostium conanima everterit, salutemque publicam conservaverit. Respice nos miseros, qui Tibi soli confidimus, omneque solatium à Tuo expetimus auxilio, atque

E 3

Eccle-

illustrium Virorum ad Camdenum scriptis, de quibus Summè Rev. Dn. L. Rechenbergius in *Schediasm. de Usu Epistolarum Clar. & illustr. Virorum Additam. Miscell. VI.* scribit, quod ad *Historiam Literariam hujus seculi valdè utiles sint.*

* Notus est *Ægidius de Smidt*, Belga, qui A. 1670. mortalitatem exiit, *Franciscus de Smidt*, Belga, A. 1659. denatus & Autor 50. librorum, nec non *Maximil. Schmidt*, Germanus, 1654. mortuus. Conf. *Biblioth. Jesuitica Phil. Alegorbe p. 15. 253. & 606. coll. Wittenii Biograph. ad A. 25. 59. 70.* His *Casp. Schmidii*, qui procul dubio Pontificiorum tuetur fidem, *Commentarium Amplissimum in Jus Provinciale Bavaricum s. Processum suum & Ediçt. Tomis III. constantem ac Monachii 1695. editum licet adjicere.*

** Rectè quidem monet Dn. M. *Job. Georg. Neumann* / in *exercit. histor. de Originibus Cognominum*, *Witteb. 1682. §. 25.* Interdum opificii alicujus nomina id momenti habuerunt, ut vel præferrentur cognomini, vel locum ejus supplerent; Hinc *Schmidii & c. cognomenta sua creduntur obtinuisse.* Ast apud omnes hæc ratio non habet locum, ipsò annuente *Neumanno.*

Ze 2020

Ecclesiam Tuam, quæ laborat heu! & magnis procellarum,
turbinibus agitatur, ulterius tueri perge, atque quotidie Vi-
ros pios, doctos & integros excita, qui Tui Nominis hono-
rem asserere ac defendere, & proximo inservire possunt. No-
bis quoque in unitate fidei congregatis, ac cœlestem verita-
tem agnoscentibus, Spiritûs S. dona affer, omniumque ser-
mones ac gressus ita dirige, ut Numinis Tui gloriam agnosca-
mus omnes, ac non sine commodô vitam hanc temporalem
cum æterna felicitate permutare valeamus. Exaudi ergo
preces nostras, Sacrosancta Trinitas, ac nos in
æternum juva! Amen!

DIXI.



WMA

M. 15




QR. 336. 29

SC
O

IN SY

GEOR
SS. THE



IS
O,
SANA
TZIUS,
C SUPER-
IS.



43



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

